

Debuisset igitur prudenter forma generali RANULPHUM interrogare, et negantem absolvere sub conditione : *si es dispositus* ; sic enim prospicitur tum reverentiæ Sacramenti, tum sigillo confessionis servando, et simul salutis pœnitentis, si forte in bona fide versetur. Neque frangitur sigillum per tacitam conditionem, cum nulla confessionis revelatio, nec ullum pœnitentis gravamen interveniat.

CASUS VIII.

LAICUS DE SIGILLO.

FERFELLIUS, nuperrime conjugatus, immediate post uxorem suam confitetur, et inter cætera dicit : « Pater, me miserum ! quid faciam ? Ecce ! modo audiivi uxorem meam se accusantem de fornicatione cum fratre meo patrata, priusquam mihi nupserit. Statui jam eam dimittere ; nolo illam amplius in uxorem agnoscere. » Confessarius, omnino obstupefactus, nescit prorsus quid ipsi respondere possit aut debeat, ne sigillum prodatur, et etiam ne falsum dicat. Ut autem e vadis emergat, pœnitentem acriter carpit ex eo quod confessionem uxoris auscultaverit. FERFELLIUS vero indignabundus recedit, et uxorem conviciis oppressam a se dimittit, cognatisque de divortio mirantibus, rem totam narravit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An FERFELLIUS in his graviter sigillum sacramentale violaverit?*
 2° *An obligatus fuerit non solum ad uxorem servandam, sed etiam ad debitum ei reddendum?*
 3° *Quid Confessario fuisset agendum?*

SOLUTIO :

771. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° FERFELLIUS graviter peccavit, confessionem uxoris audiendo, ut patet.

2° Graviter sigillum sacramentale violavit uxorem increpando, eam dimittendo, et ea quæ ex confessione audiverat aliis narrando. Ratio est, quia usus est notitia ex confessione sacramentali acquisita ad agendum externe, cum maximo uxoris gravamine, imo et ejus peccatum ex sola confessione cognitum directe revelavit. Ergo multipliciter legem sigilli violavit.

772. — *R. ad 2^m Quæst.* Nulli dubium esse potest FERFELLIUM obligatum fuisse ad habitationem cum uxore conservandam, quia non potuit eam dimittere quin ageret externe ex notitia confessionis, cum gravamine maximo mulieris. *Controvertitur* autem utrum obligatus fuerit ad debitum uxori reddendum. *Probabilius* negandum videtur. Ratio est, quia nunquam licet facere quod est intrinsece malum. Atqui habere copulam fornicatoriam cum uxore illegitima, seu ex invalido matrimonio sibi conjuncta, est quid *intrinsece* malum. Ergo, etiamsi cognoscatur aliquid esse tale, ex notitia confessionis, non licet id peragere, utpote intrinsece malum ;

esset enim formalis fornicatio. Deus autem per sigilli obligationem non potest velle id quod est intrinsece malum. Ergo reapse FERFELLIUS non tenetur debitum uxori reddere. *Lacroix, n. 1978.*

Aliqui dicunt Deum in hoc casu, ob sigilli reverentiam, concedere viro jus in corpus conjugis, non obstante matrimonii invaliditate.

773. — *R. ad 3^m Quæst.* Confessarius summopere cavere debuisset, ne verbis suis rei veritatem confirmare videretur. Non potuisset igitur ulla monita particularia pœnitenti præbere, ex quibus censeretur peccatum uxoris supponere. Sed, præmissa non adeo acri et vehementi objurgatione ex eo quod aurem uxori confitenti admoverit, dicere debuisset res plerumque male audiri quando submissa voce proferuntur, et insuper ipsi non licitum esse uti notitia ex confessione habita, etiamsi aliquam certo acceperit, quod tamen existimare non debet.

CASUS IX.

CONFESSARIUS A PŒNITENTE DECLINANS,

Ob incommoda ex præcedenti confessione cognita.

1° PASCHALIS, Religiosus, in Ecclesiam monasterii ad audiendam alicujus mulieris confessionem advocatus, et resciscens illam esse BERTAM, se excusat ab illa audienda, dicens tempus sibi deficere, seu aliquo urgenti negotio detineri; alia autem secreta ratione movetur. Cupisne scire quænam sit? Accipe. Alias eandem BERTAM jam audivit in confessione, et experientia novit eam esse admodum prolixam, morosam, tædiosam, imo et scrupulosam; quapropter tanto oneri se subtrahere satagit.

2° FAUSTINUS, Sacerdos, ad confessionem RUTILIÆ excipiendam accersitus, excogitato aliquo prætextu, se ab ea audienda excusat. Quare? Quia graves tentationes jam alias eam audiendo expertus est, et putat sibi periculosum esse si eam iterum audiat; nec existimat se teneri, cum propriæ animæ periculo, hujus mulieris confessionem excipere. Postea tamen timet ne sigillum confessionis violaverit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An Confessarius declinare possit confessionem alicujus pœnitentis, quia novit eum ex alia confessione esse intricatum, prolixum, aut male dispositum?*
 2° *An Confessarius se excusare possit ab audienda aliqua muliere, quia ex ejus confessione scit eam sibi esse periculosam?*

SOLUTIO :

774. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° *Neg.* quoties alii id animadverterent et in suspicionem de conscientia pœnitentis venirent. Item, quoties causam repulsæ suspicari posset ipse pœnitens, quia hoc cederet in ejus gravamen; posset enim id habere ut tacitam exprobrationem suorum peccatorum, aut sui modi confitendi. *S. Lig. n. 659. — Lugo, etc.*

775. — 2° *Neg.*, etiam *probabilius*, etsi nullus, ne pœnitens quidem, suspicari posset ejus confessionem a Confessario declinari, v. g. quando prætexus valde legitimus apparet, ut Confessarius vocatus non accedat. Ratio est, quia etiam in hoc casu Confessarius utitur notitia confessionis ad faciendum externe aliquid in se pœnitenti ingratum, licet hic id nesciat. Quare, si Confessarius nolit curam spiritualem istius suscipere, hoc ipsi in tribunali Pœnitentiæ declarare debet: etenim, licet fuga e confessionali, aut excusatio ex prætectu apparenter justo non redderet confessionalem tali pœnitenti odiosam, eam tamen fidelibus odiosam redderet; quia, si scirent fideles posse Confessarios ex colorato prætectu aufugere ab ipsis, ob notitiam de statu ipsorum conscientiæ in confessione acceptam, facile gravamine afficerentur. *Roncaglia, c. 2, quæst. 6. — Lugo, disp. 23, n. 117, etc., contra plures.*

776. — Licite tamen Confessarius se celabit, si justam habeat causam ob quam ab aliis etiam pœnitentibus æque excusari valeret. Nec obstat quod tunc pœnitens etiam suspicari posset Confessarium se celare ob audita sua peccata; nam in eo casu ejus suspicio temeraria foret, et Confessarius eam vitare non teneretur. Itaque potest et debet se gerere erga talem pœnitentem, quemadmodum se gereret erga alium cujus confessionem nunquam excepisset. *S. Lig. n. 659.*

777. — *R. ad 2^m Quæst. 1° Affirm.* si periculum illud proveniat ex eo quod ab ista muliere sollicitatus fuerit ad peccatum in præcedenti confessione. Ratio est, quia provocatio illa ad malum non est peccatum sub sigillo confessionis Sacerdoti commissum; etenim non est peccatum quod pœnitens confitetur, sed quod patrat inter confitendum, absque ulla connexionione ad confessionem quatenus sacramentalem.

778. — 2° *Neg.* si Confessarius ex notitia confessionis sciat talem pœnitentem solere extraordinaria confiteri peccata, ex quibus ille vehementer ab libidine excitetur. Ratio est, quia notitiam hujus periculi non habet nisi ex cognitione peccatorum pœnitentis, et proinde periculum illud strictam connexionionem habet cum ejusdem confessione: quapropter pergere debet ad illam confessionem excipiendam, divino fretus auxilio, a quo sane in his angustiis non destituetur. *Lugo, disp. 23, n. 116, et alii communius contra plures.*

CASUS X.

PERPLEXUS CONFESSARIUS

Ratione sigilli 1°.

1° COLUMBINUS, Parochus, peracto Sacro, excipit DAMASI confessionem; sed absolutionem ei ad aliud tempus differt, ut pravæ consuetudinis emendationem procuret. Sed ecce, dum Parochus solus adstat in Ecclesia, Horis recitandis intentus, accedit ad eum DAMASUS, rogans ut Communionem sibi ministrare velit. Hæret primum anceps COLUMBINUS, et postea nutu capitis significat se ejus petitioni obtemperare nolle.

2° SIAGRIUS, laicus, accedit ad REMUNDUM Parochum, confessiones excipientem, et ipse, vice sua, conscientiæ secreta pandens, ait: « Pater, ego miserrimus hominum, socius fui plurium perversorum hominum, qui de nece tibimetipsi inferenda condixerunt; modo sceleris horrore percussus, peccatum meum confiteor, et de illo intime doleo. » Parochus, his auditis, mirum in modum perturbatur; attamen vehementi nisu secum luctans, religiose exsequi curat quidquid ad suum ministerium pertinet. Dimisso autem illo pœnitente, nescit an surgere possit et fugere, ut vitæ suæ provideat, cæteris pœnitentibus derelictis.

HINC:

QUÆR. 1° *An COLUMBINUS violaverit sigillum confessionis denegando Communionem DAMASO?*

2° *An REMUNDUS in secundo casu potuerit, illæso confessionis sigillo abire et vitæ suæ consulere?*

3° *An liceat Confessario recedere a pœnitente, mortem ipsi minitante ob absolutionis denegationem?*

SOLUTIO:

779. — *R. ad 1^m Quæst. Affirm.*, quia COLUMBINUS notitia confessionis usus est cum pœnitentis gravamine. Nec obstat quod pœnitens occulte Sacramentum petat, quia violatur sigillum confessionis, non solum aliis manifestando aliquid ex confessione cognitum, sed etiam aliquid agendo quod pœnitenti onerosum esse potest. *S. Lig. n. 658. — Lacroix, l. 6, part. 1, n. 145, et alii communiter contra plures. — V. Comp. n. 667.*

780. — *R. ad 2^m Quæst. 1°* REMUNDUS abire potuit, illæso confessionis sigillo, si ex tali cautione minime manifestabatur peccatum auditum, nec ullum gravamen pro pœnitente sequebatur. *S. Lig. n. 659. — Lug. D. 23, n. 108. — Billuart, diss. 8, art. 5, et alii communiter.*

2° Secus vero dicendum si fugere nequibat quin aliquo modo aperiret tale peccatum fuisse sibi revelatum, quia fuga illa fuisset tunc indirecta peccati auditi revelatio. Hinc non posset Confessarius a celebratione Missæ abstinere, quando novit in confessione ex aliquo criminis complice venenum in urceolo vini infusum esse, si alii complices intelligerent crimen ab aliquo sociorum revelatum fuisse. *S. Lig. n. 659. — Lugo, D. 23, n. 110. — Elbel, n. 524.*

781. — Excipe si confessio non sit sacramentalis, sed simplex communicatio, ut patet. Item si Confessarius admoneretur quidem intra confessionem de insidiis sibi præparatis, sed monitio illa nullatenus ad confessionem pertineret, v. g. si pœnitens non esset complex in proposito Confessarium occidendi, sed illud fortuito, vel ex secreto novisset. Sequitur ex dictis.

In casu vero in quo confessio esset vere sacramentalis, pœnitens teneretur dare Confessario licentiam utendi notitia ipsi in confessione communicata, ut ille a periculo se eximere posset, saltem si hanc absque periculo gravis damni proprii dare posset; quod si eam injuste deneget, absque absolutione utpote indispositus dimittendus est.

782. — *R. ad 3^m Quæst. Affirm.* modo ab aliis non advertatur hoc fieri ob denegatam absolutionem. Ratio est, quia ibi nulla sequitur sigilli violatio: minæ enim illæ non fuerunt materia illius confessionis, sed peccatum ibi commissum coram ipso Confessario. Imo potest aliis dicere quod fugiat ob mortis periculum, et auxilium advocare, licet revelare non possit quod propter negatam absolutionem pœnitens sibi mortem minatus sit. Si autem fugere possit quando minæ intentantur, proinde similiter poterit postea non redire absque ulla sigilli revelatione, ob eandem rationem. Confessio enim cessat esse sacramentalis ex momento quo mors intentatur, *Lugo, disp. 23, n. 116.*

CASUS XI.

PERPLEXUS CONFESSARIUS

Ratione sigilli 2^o.

1^o HUGOLINUS, Confessarius, audit ex confessione TITII Ecclesiam in qua celebrare solet, modo pollutam esse ex secreto crimine ab ipso TITIO in ea patrato. Postquam discessit ille pœnitens, insurgit in mente Confessarii difficultas ad quam prius non attenderat. Quid de celebratione Missæ die sequenti? Si ibi Sacrum faciat, legem Ecclesiæ gravem infringet; si celebrationem omittat, sigillum confessionis violabit. Inter malleum et incudem constitutus, HUGOLINUS nescit prorsus quo se vertat. Tandem, excogitato aliquo prætextu, in alium locum discedit.

2^o PATERNUS, Sacerdos, confiteri solet ALBERTO, quem pium reputat Presbyterum. Sed ecce! ALBERTUS vice sua ad pedes PATERNI provolutus confitetur, et inter alia infandum crimen pandit, scilicet, se simulatum esse Sacerdotem. Obstupefactus horrescit PATERNUS, et pœnitentem non absolutum dimittit ad pœnitentiam peragenda, antequam confessio perficiatur. Sedata autem animi perturbatione, cogitare cœpit de alia difficultate, scilicet, utrum ipse possit aut debeat ALBERTO adhuc, sicut antea, confiteri.

HINC :

QUÆR. 1^o *An possis, vel tenearis celebrare in Ecclesia quam novisti ex confessione esse pollutam?*

2^o *An possis, vel tenearis confiteri illi cui solitus es confiteri, si ex confessione noveris illum non esse Sacerdotem?*

SOLUTIO :

783. — *R. ad 1^m Quæst. Controvertitur.* Duplex est sententia probabilis, speculative loquendo.

Prima sententia *probabilior*, ut videtur, *affirmat*. Imo, Confessarius non tantum potest, sed debet facere sicut alias fecisset, seclusa confessionis notitia. Ratio est, quia prohibitio non celebrandi in Ecclesia polluta non attingit Confessarium, qui factum pollutionis non novit nisi ex con-

fessione. Tunc enim is nihil prorsus scire censetur; ex mutatione vero loci, vel propositi, sequeretur usus illicitus notitiæ confessionis. *Sporer, n. 874, etc.*

Secunda sententia *negat*. Ratio est, quia ex una parte urget præceptum non celebrandi in Ecclesia polluta, et ex alia parte minime urget præceptum servandi sigillum, cum nullum adsit periculum revelationis apud alios, neque damni pœnitentis. Hæc sententia, ait *S. Ligorius, n. 660*, est *satis probabilis*, si nulla fiat revelatio indirecta, nec ullum sequatur gravamen pœnitentis, v. g. si Confessarius justum prætextum alibi celebrandi exponat.

Cæterum iste casus raro in praxi evenit. Etenim, cum ad pollutionem publica violatio Ecclesiæ requiratur, difficile est ut Ecclesia sit polluta, quin Confessarius id extra confessionem cognoverit.

784. — *R. ad 2^m Quæst. Controvertitur.* Alii *negant*, quia simulare receptionem Sacramenti, est quid intrinsece malum. Ergo non tantum potes, sed debes desinere huic simulato Sacerdoti confiteri.

Alii *affirmant*, quia, ad vitandam talem simulationem, sufficit ut intentionem non habeas absolutionem recipiendi, cum eam accipere non possis, et hoc ei declares, accepta ejus licentia. Etenim intrinsece malum non est, si peccata tua declares sine intentione recipiendi absolutionem; porro ex causa gravi hujusmodi simulatio, vel cooperatio ad peccatum illius hominis, est licita ut mere materialis. Potes igitur et debes illi confiteri, saltem simpliciter aliquod peccatum manifestando, sine intentione absolutionis, vel potius petere ab ipso licentiam eum relinquendi, etiam sub pœna non concedendæ absolutionis. *S. Lig. n. 660, in fine. — Lugo, disp. 23, n. 105. — Lacroix, n. 1978.*

Cæterum hujusmodi casus fere chimæricus videtur. Difficile enim evenire potest ut quis declaret in confessione se non esse Sacerdotem, et tamen velit Confessarium cogere ad sibi confitendum.